



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

Thomas <von Kempen>

Dvaci, 1625

Trigesima-Sexta. De sancta & vnanimi conuersatione primitiuæ Ecclesiæ,
in Hierosolymis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

sunt: vt vsque ad extrema terræ, Spiritu sancto cooperante, eorum prædicatio perueniret.

5. Consequenter etiam ex iam dictis perpende, quia sancti Apostoli, qui erant Christo charissimi, non sine labore & debita præparatione hanc spiritalem consolationem acceperunt: nec sine certamine & corporis afflictione in hoc seculo vixerunt: sed tanto feruentiores erga Christum & proximorum salutem extiterunt, quanto præ cæteris ampliora dona se accepisse cognouerunt. De quibus non propriam gloriam, non transitoriã mercedem, nec laudem quæsierunt humanam: sed purè Dei honorem & caelestem gloriam, post huius vitæ laborem. Qui utique in omni conuersatione sua inter gentes multas, cum humilitate & mansuetudine cordis, acceptam cælitus gratiam, sollicitè custodire studuerunt; non ocio torpentes, nec commoda carnis quærentes, sed animarum lucra pensantes, verbis & exemplis subditos suos ædificauerunt, & maximum fructum Deo obtulerunt. Horum igitur actus & dicta valde vtile est omnibus religiosis & deuotis sedulo pensare; qui crucem suam pro Christo tollere & Apostolicam vitam sectari proposuerunt. Quatenus ad melioris vitæ profectum semper ferueant, & in disciplina ordinis perfeuerando, Spiritus sancti gratia adiuuante, vitam æternam cum omnibus Sanctis apprehendant. Amen.

TRIGESIMA SEXTA.

*De sancta & vnanimi conuersatione primitiua Ecclesia,
in Hierosolymis.*

1. **M**ultitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna in Deo. Act. 4.
 MO quàm sancta & iucunda fuit illa congregatio in primitiua ecclesia, Spiritu sancto congregata: quæ nequaquam potuit conturbari, quamdiu vnitas fidei in vinculo charitatis illæsa seruabatur. Ad hanc perfectè tenendam maximè iuuant abdicatio proprietatis in rebus temporalibus, cõformitas in bonis moribus, obedientia præpta in subditis, vita exemplaris in prælatis, pia condescensio cum infirmis, stricta correctio pro excessibus, debita ordinatio in singulis officijs. Et nequid fortè communitati desit vel depereat, debent omnes pro posse commune bonum promouere: vt charitas in omnibus per opera sancta luceat, & Deus inde summè glorificetur. Omnia ista bona inueniuntur à sanctis Apostolis primitus obseruata, & per eos postmodum ad alios fideles deriuata: sed præcipuè religiosi ac prælatis ecclesiæ ad imitandum sunt commendata. Nam quãdiu Apostolica vita claruit in capite & in membris, erant bona cum ipsis, & magna gratia in vniuersis. Et quia Deum quærebant & terrena spernebant, addita sunt eis cum spiritualibus donis temporalia bona.

Et tanto maiore honore digni habebantur, quanto humiliter de
femetipsis sentiebant, & omnem mundanam gloriam vilipende-
bant. Bene ac modestè vti sunt bonis acceptis, nec superbieban-
in dignitatibus & beneficijs sibi collatis: sed solitudine paten-
regebant subditos suos in magna disciplina. Insuper multis pau-
peribus ac debilibus cōpatientes, libentissimè subueniebant, ad
fictis quoque & tentatis, sacra consolationis verba exhibebant,
ab ociosis sermonibus se & alios compescebant, scientes quòd de
omni verbo ocioso, quod loquuti fuerint homines, singuli res-
dituri sunt rationem in iudicio.

Matth. 12.

2. Cum autem cœpissent quidam à calore fidei tepescere, & ad
commoda carnis immoderatiùs declinare, propria querere, ho-
nores ambire; heu statim orta sunt murmura & scandala, & ap-
paruerunt dissensionum zizania, ab inimico nequiter iniecta, ad
corrumpendum in agro dominico boni seminis grana. Sed huius
pestifero morbo & queruloso principio occurrerunt Apostoli
sancti consilio saluberrimo: & elegerunt fideles ministros, qui
sanctae multitudini necessaria victualium prouiderent. Ipsi vero
orationi & prædicationi instabant, prout à Spiritu sancto edocti
erant, spiritualia temporalibus præferentes: & contra questiones
motas, & casus emergentes, legis & prophetarum testimonia
protulerunt. Adiecit autem Spiritus sanctus adhuc latius sua mu-
nera nouiter conuersis impartiri. Nam impleuit quosdam ex cre-
dentibus spiritu prophetiae, ad cōsolationem ecclesiae primitivae.
Instituit quosdam doctores, ad instructionem imperitorum. Cō-
uertit etiam plures sacerdotes & legis magistros, ad Euāgelicam
veritatē. Fecit quoque signa & prodigia multa inter gentes lon-
ginquas, ad fidem catholicam propagandam. Vidit ista, & inuidit
fauisissimus hostis diabolus. Doluit, & commouit reges & princi-
pes terrae, vt insanirent armis, & persequerentur vbiq; fideles.
Et quia Hierosolymis maior gratia vixit, & Apostolicus seruo-
altius crescere cœpit: ideo Satanus ibi duriùs fremuit, & perse-
quutionis flagello primordia nascētis ecclesiae extinguere cona-
tus est, atque de locis suis ad exterarum nationum ventilare. Verum
hanc diaboli malitiam & temporalem fidelium persequutionem
Deus cōuertit ad multorum salutem, & sancti nominis sui noti-
tiam clariorem. Factaque est tēporalis tribulatio iustorum, utilis
purgatio vitiorum: & quod tentator versipellis parauerat ad rui-
nam, pius saluator ordinavit patientibus ad coronam. Nisi enim
fuisset tam grauis persecutio in mundo, non essent tot martyres
coronati in caelo. Multi namque fidelium decreuerunt magis
sanguinem fundere, quàm fidem negare: & mortem libentius
subire, quàm ab amore Christi resilire.

3. Absit

3. Absit, absit, ut valeatior esset Satanas cum aduersarijs suis ad nocendum, quam Christus cum Angelis sanctis ad defendendum. Nihil quippe potuit agere contra pios spiritus malignus, nisi Deus hoc iuste permisisset: qui singulorum actus & vires cognoscens, per tales occasiones afflictivas, electos ad perpetuam gloriam transtulit: & aduersarios illorum crudeli damnatione in ignem aeternum demersit. Sic boni & mali pro suis meritis, quod iustum est, recipere merentur: quia iustitia Dei nullum bonum irremuneratum, nec vllum malum dimittit impunitum.

4. Nec debet infirmos scandalizare, quod in sancta ecclesia tam cito apparuerunt zizania & murmura multa: quia cum bonis semper admixti sunt mali, & cum perfectis ambulat iniqui & imperfecti. Quanto enim sanctiores, tanto pauciores, sicut experimur in diuersis locis religiosi. Nam maior videtur numerus incipientium, quam perfectorum: & minor est copia contemplatiuorum, quam actiuorum. Inter multos etiam subditos, pauci reperiuntur ad officia utiles, & ad bene regendum se & alios adhuc multo rariores. In his apparet humana fragilitas, & humiliatur superbia nostra: quia tam proni sumus ad vitia, & tardi ad perfectiora sectanda. Nemo tamen alteri improperare recte potest, quod defectuosus sit & ineptus: quia sicut alius fragilis est, ita & tu. Rara avis in terra, perfectio vera: & in omni loco reperiuntur vascula fracta. Debet ergo quilibet ad seipsum oculum habere, & proximo erranti misereri, nec indignari, si quandoque offendit.

Vnde B. Iacobus ait: *In multis offendimus omnes.* Ad humilitatis igitur confessionem recurrendum est: ut quod minus habet defectio sanctitatis nostra, suppleat confessio propriae fragilitatis. Et tanto humiliores in omnibus simus, quanto longius a vera perfectione distamus. In peccando & cadendo fratres sumus, nemo securus est de sua perseverantia. Quamdiu ergo hic viuimus, oportet infirmos tolerare, & etiam aliquos aduersarios habere. Nam Christus imperfectiones discipulorum suorum diu tolerauit: & detractiones Pharisaeorum frequenter audiuit, qui in omnibus perfectus fuit. Nouit autem Deus huius mundi aduersa ad multa bona disponere, quae raro desunt bonis & rectis corde. Nam istis spinis & turbinibus retrahitur animus a delectationibus terrenis. Excitatur cor ad amorem caelestium, exercetur homo per patientiam. Discit compati afflictis, humiliatur in doloribus, conformatur Christi passionibus. Fit magis compunctus, minus dissolutus. Orat feruentius, gemit frequentius. Tædet viuere, cupit dissolui & esse cum Christo, quia non est pax in hoc mundo. Sed pius Dominus, qui nouit quid nobis sit salubrius, saepe differt implere desideria seruorum suorum propter melius: quatenus ad-

huc

huc clarius purgentur, ad obtinenda promissa gaudia in caelis. Audit clamorem eorum, videt afflictionē tribulatum: sed non statim aufert ab eis dolorem, vt amplius mereantur per tolerantiam malorum. Misericorditer vtique, & exaudit ad salutem, sed non semper ad propriam voluntatem. Et quia disponit eis dare regnū aeternae beatitudinis admiscet vitae ipsorum varia pocula amaritudinis; vt spem suam non ponant in terrenis, nec exilium diligant pro patria caelestis iucunditatis.

5. Valent autem maximè temporales miseriae paciēter tolerare, pro ablutione peccatorum, pro reconciliatione diuinae misericordiae, pro diminutione poenae purgatorij, pro obtentu maioris gratiae, pro augmento celsioris gloriae futurae. Quis hominum tam purus, tam custoditus & perfectus est in omni conuersatione sua, à mane vsque ad vesperam, qui non delinquat aliquando ore vel opere aut cogitatione, scienter vel ignoranter? Quis tam bonae conscientiae, vt nihil habeat ad confitendum? Quis tantae puritatis & abstinentiae, vt non metuat argui pro aliquo delicto in iudicio futuro? Nam omnia districtissimè examinabuntur coram Deo iudice rectissimo; etiam illa, quae nunc parum vel pro nihilo reputantur. Dum ergo tempus adest, & misericordiae locus patet, omnes simul poeniteamus & feruenter nos emendemus. Benignus est Deus, libenter ignoscet delictis nostris, si nos veraciter cognoscimus & dolemus. Et quia in Christo fratres sumus, oremus pro inuicem, sicut fraterna charitas exigit. Seruiamus inuicem, supportemus inuicem, admoneamus inuicem, consolemur inuicem, gaudeamus inuicem, tristemur inuicem. Diligamus nos inuicem, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis; qui diu sustinuit nos in malis praeteritis, & adhuc quotidie sustinet imperfectiones nostras ob spem emendationis; vt proximis nostris compati discamus, & pro eis oremus. Haec attendentes & facientes, implebimus legem Christi; & erimus veri discipuli eius & amici charissimi, à Patre dilecti, à Filio adoptati, à Spiritu sancto inflammati, à tota sancta Trinitate praedestinati & benedicti. Tunc etiā de nobis poterit dici & verificari, quod de primitiua Ecclesia in Actibus Apostolorum legitur. Quia multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna in Deo, & erant eis omnia communia. Amen.

FINIS TOMI PRIMI.

OPE.